



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XI. Solimanni receptus è Pannonia. Caesaris in Italiam reditus. Inter ipsum ac Pontificem offensiones. Britanniae ac Galliae Regum tentamenta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

que Religionem in quoddam chaos, in bestiarum mores, in atheis-
 mum, obedientiam in contumaciam vnus, & optimorum regimen
 in popularium plurimorum dominatum; quarum rerum exempla
 funesta Caroli successores experti sunt ab ea concessione profecta.

1532.

C A P V T X I

*Solimanni receptus è Pannonia. Cæsaris in Italiam reditus. Inter
 ipsum ac Pontificem offensiones. Britannia ac
 Gallia Regum tentamenta.*

Solimanni exercitus, quemadmodum vastæ machinæ, suâ ma-
 gnitudine lentior, in Pannoniam serò peruenit; neque Prin-
 ceptus ille sapientis esse consilij existimauit, suam potentiam
 fortunæ committere, neque partam sibi gloriam, cum Carolo V.
 congregiendi in discrimen vocare; sed agro latè vastato, potius
 atrocinantium Ducis, quàm summi Imperatoris more, suas co-
 pias Byzantium reduxit. Cautum illud consilium in Orientis ma-
 gno Imperatore imitatus est non minor Occidentis Imperator il-
 lius hostis, nullâ illatâ molestiâ ab aggressione recedenti; ratus infi-
 gnem impetiti victoriam, dum solo aspectu impetentem deterreret,
 vincitque gladio in vagina recondito. Quin quò celerius heredita-
 ria Hispaniæ Regna repeteret, futurosque ibi heredes pararet, fratri
 opem ferre neglexit, eoque militum robore Pannoniæ illi plenam
 possessionem acquirere, aduersum Ioannem Scepusium Zapolien-
 sem, ab Austriacis *Vayuda* nuncupatum, qui supremus erat post
 Regem Magistratus intra ditionis fines, eamque obrinuerat prius
 quam per electionem, habitam anno 1529, quamquam suffragis de-
 ficientem, sibi ius Regni arrogasset, eiusque titulum ac possessionem
 occupasset; vnde Pannoniæ Coronam Ferdinando præripere ad-
 nixus, ad sui patrocinium Solimanni arma potissimum sollicitarat.
 Præcepit quidem Cæsar, vt ibi validus ad id Itolorum exercitus re-
 maneret: sed illi alterius nationis Ducem supremum sibi præfectum
 dedignati, seditione factâ secessere; neque ipsius Caroli præsentia
 ad eos placandos quidquam valuit, quin contemptus ac repulsæ in-
 iuriam pateretur. Quare suâ sponte raptim in Italiam redeuntes,
 iter hostilibus incendiis funestarunt, dictitantes, quò deformem li-
 centiam splendido aliquo colore cohonestarent, à se illa patrari, vt
 similes clades, à Germanis illatas patriis focis, vlciscerentur.

Vide librum
 de Republ.
 & Statu Re-
 gni Hunga-
 riæ pag. 136.
 141. & 143.
 & Broderi-
 thii & Sam-
 bucum in
 Appendice
 ad Bonifacii
 pag. 757.

2 Hinc accedit, vt cum Cæsar Italiam versus iter faceret, irâ com-
 motus,

Guicciardini
 lib. 10.

1532. motus, leuem ob causam grauissimo dedecore Clementis Legatum, eiusque patruelis filium affecerit; ut fert irascentium impetus, qui bilis æstuantis igniculis irritati, eam, qualieumque oblatâ occasione, contra quos possunt violenter effundunt. Designauerat Cæsar ordinem in viâ stationibus seruandum: at Legatus impetentiâ iuuenili Cæsarem præueterat, aderatque cum eo Petrus Maria Rossius, præcipuus auctor creditus narratæ Italarum seditionis. Vnde Cæsar iussit non modò Rossium, sed Legatum etiam comprehendi: postea verò facti pœnitens, Cardinalem dimisit, mox verò ad offensionem mitigandam, Rossium etiam paulò post exsoluit, nec prætermisit exculationis officiosissimæ lenimenta erga Legatum, ipsumque Pontificem adhibere; apud quem illatam iniuriam honestâ specie suspitionis obtexit, quasi vereretur, ne Legatus agrè ferens antehabitu sibi in Florentiæ Principatu Alexandrum Patruelis filium, ad eum depellendum cum suo Comitatu desisteret. At verò, tametsi Pontifex, qui cunctis animi perturbationibus præter timorem mirificè imperitabat, boni publicæ rationibus iustæ iracundiæ frænaret impetus, ad retinendam cum Cæsare necessitudinem, adedò tamen eâ tam publicâ contumeliâ fractus victusque animo est, ut in lacrymas præ dolore proruperit.

Petrus Sorianus, in relatione suæ Legationis ad Senatum Venetum.

Guicciardini loco citato.

Quò arctius cum Carolo Pontifex iungebatur, eò fortius duo Reges illius æmuli hunc ab eò diuellere conabantur, asperis certis modis, quandoquidem blandis non processerat. Horum alter, gloriæ ac potentiæ avidus, Insubriæ recuperandæ inhiabat: alter, exæstians libidine, amicæ nuptias anhelabat. Vtriusque autem consilium, quippe & ytilitati & honori Caroli contrarium, adeoque fauore Pontificis indigum, in eorum coniunctionem velut in obicem offendeat. Idcirco, dum Cæsar bello Turcico distinebatur, quod diuturnum & arduum ij Reges fore sperabant, statuerunt in congressu Caletij habito, ut Galliæ Rex Acromontium & Turmonium Cardinales Romam mitteret cum peracerbis mandatis, qui Pontifici denuntiarent, eos Reges se ab eius obsequio subtrahuros, nisi Gallo de Mediolani recuperatione, Anglo de Annæ conuulsi assentiretur. Sed inopinata celeritas, quâ Cæsar hostis tam terribilis aggressionem dissoluit, Gallum ad consilia moderatiora redegit, ne Clementem impelleret, non tam ad amicitiam cum Cæsare, quam ad inimicitiam erga se. Proinde molliora Purpuratis Oratoribus iniuncta mandata, quamquam, ut Angli fiduciam foueret, cui amoris cæcitas prudentiæ prospectum ademerat, voluit aliquam offensionem in Pontificem præferre, imponendo ex propria au-

toritate

Fortitate Ecclesiasticis vectigalia quædam. Simulque ad alias efficaces artes, sed minus violentas conuersus, studuit suadere Pontifici, Germaniæ Protestantes, quod Galliæ vires tamquam vnicum sibi aduersus Cæsarem præsidium spectabant, futurum vt à suo nutu penderent: Angliæ quoque Regem in prosequendo coniugio, eatenus ausurum vnà cum Pontifice Cæsarem lædere, quatenus Gallorum viribus se tutum agnosceret. Proinde aliam non posse rationem iniri, quâ dignitas Apostolicæ Sedis, rei que Christianæ vnitatis sustineretur, nisi se cum ipso coniungeret: posse id à Clemente perfici seruatâ Cæsaris amicitia, cui haud molestè ferendum erat, quando iam Gallus Pontificem cum solo Cæsare affinitate coniunctum tolerauerat, eum nunc pariter cum eorum vtroque Principe coniunctum aspicere. Ad ea consilia amplectenda compulsus est vehementius Pontifex, quod aliorum fauore destitutus, minoris à Cæsare æstimari videretur. Cuius rei argumenta varia suppetebant: ac in primis, quod Cæsar Alphonso Duci Mutinam, Rhegium ac Ferrariam contra Pontificem adiudicarat. Nam de Mutina ac Rhegio, elegerat Cæsar (vt Iurisperiti loquuntur) solum ex Iure procedere; de Ferraria verò, de qua si hanc viam inisset, oportebat Ducem perduellionis damnare, amici conciliatoris sibi partes assumpserat: secundò autem, in procrastinandis nuptiis filia iam nubilis cum Alexandro, absque causa conspicua: postremò, dum videbatur Lutheranorum violentiâ magis trahi, quàm æquitate Pontificis, in rebus de Religione & Concilio sancientiis; cum satisfacere mallet non magis honesta petenti, meliusque merito, sed planè magis formidabili.

C A P V T XII.

Alterum Cæsaris cum Pontifice colloquium Bononiæ; aliaque apud Christianos Principes officia ad Concilium celebrandum.

Reuerfus è Germania Cæsar, atque in Hispaniam traiecturus, voluit iterum Pontificem alloqui duplici de causa: & quò cum eo confirmaret amicitiam, quâ quicquid suæ ditionis per Italiam erat, satis in tuto fore existimabat, & quò aliquid de Concilio statueretur, sine quo se in Germaniæ negotiis intutum arbitrabatur. Clemens, quantumuis impar ad itineris incommoda, maluit se conferre Bononiam, quàm Cæsari occasionem inde præbere in Italiam penetrandi, ac Neapolim pertingendi, quò destinabat. Ferunt, in eo congressu non æquè vtrique satisfactum,

Guicciardinus supra citatus.

Pars I.

M m

ac

Historia
Concilii Tridentini
lib. 3. cap. 11.
273.